

num Senatuum, uti notat Zypaeus in Notitia Juris Belgici tit. De Arbitris: refertque Hubertus Loyens in Tractatu De Curia Brabantiae cap. 15. inter causas de quibus Senatus Brabantiae est iudex, reductionem à laudo arbitratorum, dicens: „Ad cognitionem Senatus jure quoque „pertinet omnis reductio à sententia Arbitri, ad arbitrium „boni viri.

Ex Ordinationibus tamen hujus Curiae art. 487. potest reductionis causa committi Judicibus Ordinariis, ubi expedire videbitur. Verba articuli sunt: De Materien van reductien sullen by onsen Raede ten Landrecht moghen gecommittet worden, als sy bevonden sullen soote behooren. Id est: Reductionem causae poterunt senatus nostro in Patrio tribunali committi cum sic expedire videbitur.

XXXIII. Dum reductio sit quaedam species appellationis, ex communi Interpretum opinione debet fieri intra decem dies adinstar appellationis; uti notat Damhouderus in Praxi Rerum civil. cap. 213. & ita servari in Francia dicit Rebuffus loco citato gloss. 8. num. 6. Unà tamen monens, quod si dolo, vel per fordes quis praetendat se enormiter laesum, possit intra 10. annos impetrare litteras Regiae restitutionis; quemadmodum in aliis contractibus id licet.

XXXIV. Ex Ordinationibus Curiae Brabantiae art. 488. reductio ad hanc Curiam effectum suspensivum non habet, nisi facta sit intra 20. dies à latà sententia arbitrari: post annum verò nulla reductio admittenda. Dar egeen materien van reductien effect van suspensie hebben en sullen, ten sy dat die reductie versocht is binnen vovintigh daghen naer d' uytpracke gedaen, ende egeen reductien en sullen ontfangen, ofte geadmittet worden naer den jaere dat d' uytpracke gedaen sal syn. Id est: Ut nulla reductionis causa suspensionis effectum fortiat, nisi dicta reductio intra vigesimum à prolata sententia diem impetretur. Elapsò verò post sententiam anno, nulla re-

ductio recipi aut admitti poterit. XXXV. Ut reductio fiat, debet per libellum à Curia facultas reducendi impetrari; quod & innuit citatus articulus Ordinationum Curiae Brabantiae, dum dicit reductionem non habere effectum suspensivum, nisi petita sit intra 20. dies Die reductie versocht is.

XXXVI. Conqueritur Buisus, ad Legem primam De Arbitris, quod malo more eadem reductio in nonnullis Belgicis Curis facile & plerumque sine ulteriori causae cognitione concedatur. Et sane etiam concedi solet, tamen pena compromisso adjecta sit, & reductio expressè renuntiatum sit: nam & adversus hanc renuntiationem restitutio datur, & reductio admittitur; uti latè deducit Rebuffus loco citato Glossa 5. & 8. ibi notans, omnes penè cautelas, quae pro roboratione arbitratorum fuere jam pridem observatae, amplius non valere. Adeo ut hodie vis arbitratorum penè totaliter sit enervata: ipsaque compromissa magis ad augendas quam extinguendas lites hodie servire videantur: Cum tamen teste Jurisconsulto in L. 37. ff. eod. non differendarum litium causa, sed tollendarum ad Arbitros eatur.

XXXVII. Ad haec finalia verba reflectens Mornacius ad L. 36. ff. De Receptis qui Arbitrium &c. ait: „Notandus „textus. Sed quia nec satis arctum arbitralis sententiae vinculum esse compertum est ex quotidianis experimentis, inventa est & haec alia ratio tollendarum litium: nempe ut statim atque terminata sunt negotia ab Arbitris, Litigantes coram eis transigant apud tabelliones, id est, & contestationes quae factae ab iis fuerunt, & iudicium quod ab Arbitris latum est, transactionis obice perpetuo muniant, nihilque amplius pateat, tantillumve emineat, praeter contractum quem omnium esse fortissimum ideo voluit constitutio Regia anni 1561.

Et ne adversus transactionem forsitan restitutio petatur ex capite praetensa Læsionis; atque hinc rursus litibus initium detur, solet transactionis confirmatio à Sepatu peti.

TITULUS VI. De Ministris Curiae Ecclesiasticae.

CAPUT I.

De Assessore.

- 1 Hodie Officiali seu Ministri curiae Ecclesiasticae demum institui coeperunt quando in forum Ecclesiasticum intravit status fori civilis.
2 Origo & consilio horum Ministrorum potissimum ex Jure Civili petenda.
3 Officium Assessoris jam pridem apud Romanos notum fuit & unde nomen Assessoris.
4 Assessores etiam dicti fuerunt Consilarii.
5 Apud Romanos Magistratus Assessores utebantur.
6 Error in judicando cur. Assessores, non Magistratibus imputaretur.
7 Assessores reputabantur quasi iudices & ideo multis privilegiis gaudebant.
8 Erant immunes à tutelis & onere indictionis.
9 Si absentes testi essent restituebantur in integrum.
10 Assessores apud Romanos accipiebant salaria sua ex publico.
11 Olim omnes majores Magistratus sibi Assessores assumere poterant, hodie solum Principes supremi.
12 Hodie Assessores Principum constituunt parlamenta & Concilia eorum.
13 Inferiores Magistratus habere solent suos Secretarios vel Grapharios vices assessorum supplentes.
14 Praeter hos officiatos consilere consueverunt Advocatos, qui locum assessorum suppleant.
15 Nominatimque Magistratus tenentur iudicium istorum Advocatorum in pronuntianda sententia sequi.
16 Exemplo Magistratum Civitatum Iudices Ecclesiastici coeperunt Assessores sibi assumere.
17 Saeculo 13. moris fuisse assumere Advocatos in Assessores in Curis Ecclesiasticis probat Synodus Cantuariensis.

- 18 Nonnulli Iudices Ecclesiastici in gravamen partium sine causa assumebant assessores.
19 Decretum Bonifacii VIII. occasione hujus abusus evulgatum.
20 Quis dicatur Assessor in hoc Decreto Bonifacii.
21 Bonifacius verat assumi Assessorem à iudice nisi eo indigeat.
22 Potest tamen semper assumere modo id fiat sine gravamine partis.
23 Quandonam Iudex censetur fraudulenter assumere Assessorem ex mente Bonifacii.
24 Potest assumere Iudex si indigeat Assessorem etiam cum gravamine partis.
25 Hodie Iudices Ecclesiastici qui non sunt professione jurisperiti solent Assessores assumere.
26 Ex Constitutione Leonis X. Iudices in neutro iurium graduati tenentur Assessorum assumere una etiam parte tantum requirente.
27 Iudex licet professione jurisperitus & in jure graduatus potest Assessorum ad gravamen partis assumere si eo indigeat.
28 An iudex indigeat vel non, Bonifacius relinquit conscientiae ipsius iudicis.
29 Unde hodie Iudices de causa assumendi Assessorum nulli nisi sibi Deo rationem reddere debent.
30 Iudex delegatus ob suam insufficientiam hodie non potest recusari.
31 Potest recusari Assessor tamquam suspectus.
32 Permittit Bonifacius iudici ut Assessori competens salarium ad onus partium assignet.
33 Quae de jure in assignatione salarii consideranda?
34 Quid hodie obtineat circa salarium Assessorum, qui in Assessores assumuntur vel pro iudice consulantur.
35 In Curis Ecclesiasticis iura Assessoris solent esse taxata.
36 Interdum Assessor recipit iura iudicis nullo honorario iudicis relicto.
37 Convenit ut Iudex per se examini causa intersit, tamen si Assessor utatur.

I. Dum



Um circa saeculum 12. coeperunt in tribunalibus Ecclesiasticis causae more & stylo forensi instrui, & secundum legum etiam Civilium rigorem examinari & decidi, unà in his tribunalibus invalere Officialium & Ministrum fori Civilis; atque ad exemplum Officialiorum & Ministrorum jurisdictionis civilis iidem penè legibus institui & ordinari, uti rectè notavit Carolus Loyseau tractatu De Officiis lib. 5. cap. 6. n. 33. dicens vice fundamenti in hac materiatenendum esse, quod officia fori Ecclesiastici iidem iuribus & regulis regantur quibus Officia saecularia: Aussi il faut tenir (ait) pour maxime, que les Offices de la justice Ecclesiastique gardent & retiennent le mesme droit, & les mesmes regles de la justice temporelle. Id est: Unde tanquam axioma habeatur quod officia fori Ecclesiastici, idem jus eademque regulas cum foro saeculari observent & teneant.

II. Unde si quis noscere velit Ministrorum seu Officialiorum Curiae Ecclesiasticae originem & naturam, quin & eorum munus & Officium, nec non regulas quae observare debent, eam noticiam ex jure Civili fere haurire debet; atque investigare, quae fuerint aut sint hujusmodi ministrorum apud Civiles Magistratus munia & leges. Atque hinc facile quoque intelliget, ex foro Civili in forum Ecclesiasticum haec esse introducta, postquam hoc forum ad normam istius regi coepit, & causae ad praescriptum non tantum Canonum, sed & ipsarum legum Civilium instrui & decidi.

III. Notum jam pridem fuit officium Assessorum; ita dicitur, quod Magistratibus ad idere in causarum examine & decisione solent. „Omne officium Assessoris, quo Juris „studiosi partibus suis funguntur, in his ferè partibus constat, „in cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis, „epistolis, „inquit Paulus Jurisconsultus in L. 1. ff. De Officio Assessorum.

IV. Dicuntur & Consilarii, utpote qui consiliis propriis Magistratus in decidendis & tractandis causis juvare debebant L. 7. Cod. eod.

V. Licet enim jure Romanorum Iudices legum peritiam habere debeant, atque munus iudicandi per se obire teneantur Novellà 60. & 82. tamen Magistratus hac scientià non debeant esse instructi; uti ipse etiam Justinianus indicat in dicta Novellà 82. cap. 2. & manifestè supponit L. 2. ff. Quod quisque juris in alterum statuerit &c. ubi dicitur: „Si Assessoris, „lotis imprudentia jus aliter dictum sit, quam oportuit, non „debet hoc Magistratui officere, sed ipsi Assessoris.

VI. Cur non debeat Magistratui officere, rationem allegat ibidem ex Cajacio lib. 23. Observat. 40. Dionysius Gothofredus: „Assessor pro Jurisperito agit & scientiam juris praestare debet: Prator vel Praeses non item. Et plerumque nec Jurisperitus est, sed vir militaris ex nobilitate quadam familia, qui arma potius callet, quam leges; quod & hodie in iis qui Ballivi, sive Seneschalli, dicuntur, usum venit.

Idipsum jam pridem observavit Theodorus Balsamon ad Can. 15. Carthagenensem, dicens: „Magistratus seu qui praenuntiat iudicibus, non coguntur leges exactè scire, ut qui in multis aliis magnis occupationibus versentur; & propterea si per imperitiam sententiam ferant, eis venia datur. Eorum Assessores, si contra leges ferant sententiam, puniuntur. Dicit enim lex in lib. 7. tit. 3. cap. 24. Dolum Magistratus requirimus. Si enim per imperitiam Assessoris aliter iudicatum fuerit, non facit injuriam Praeses seu Magistratus, sed qui ei fert auxilium. Et est probabilis quidem ratio. Magistratus enim propter eam quae dicta est causam, non insimulantur: Iudices autem, quorum est proprium munus iudicare, si contra leges fecerint, tenentur ac si dolo fecissent, secundum legem quae dicit; Imperitia negligentiae aequiparatur; & rursus. Dolum quis facit qui perfectè nescit quod se scire profitetur.

VII. Assessorum illorum non exigua erat apud Romanos, dignitas; multique erant privilegia decorati. Cum enim eorum consilii omnia apud majores Magistratus agerentur, quasi Iudices & Magistratus erant: hincque administrantium Provincias socii atque participes, & quadam uniuscujusque portio videri dicuntur in L. OMNIS Cod. Theod. De iis quae administrantibus &c.

VIII. Et quidem Assessores tamquam qui vices Judicium subirent, ipsisque Provinciarum Praesidibus & Magistratibus assisterent suis consiliis continuo, immunes erant à tutelis, & ab omni indictionis onere, non solum dum in officio erant, sed & eo depolito. L. 11. ff. De Officio Assessorum.

IX. Similiter si dum hujus officii causam in Provinciis agerent & à patria abessent, interea in aliquo laesi essent, damnumve in Patria accepissent, restituebantur in integrum L. 37. & 38. ff. Ex quibus causis majores &c. quia Republicae causa ab eis celebrabantur.

X. Et quod amplius est, ipsi Assessores non secus ac ipsi Magistratus salaria sua ex publico accipiebant L. 4. ff. eod. Unde & titulus Codicis De Annonis & capitatione Administrantium vel ASSESSORUM &c.

XI. Olim major quivis Magistratus sibi Assessores adoptabat, ut Praefectus Praetorio, Praeses, Proconsul, Prator, publico eis constituto salario L. 11. Cod. Assessoribus. Hodie solum Principes, & qui Provinciis praesunt, & liberae civitates eos assumunt in consilium, ait Antonius Perezus ad tit. Codicis De Assessoribus num. 1.

XII. Hi hodie dicuntur Consilarii Principis; constituuntque ipsa hodierna Principum Parliamenta & concilia, quae etiam tamquam Principum Assessores, omnia sua publicant & enuntiant sub nomine Principis; iploque Principis sigillo utuntur.

XIII. Inferiores Magistratus hodie suos habere solent Secretarios vel Grapharios (de quibus infra) qui plerumque sunt Jurisperiti, & in negotiis forensibus aliquatenus instructi. Hi tamquam quidam Magistratum Assessores causis instruendis & agendis ac decidendis Magistratibus assistere consueverunt: praesertim quia cum hi Officiali perpetui sint, Magistratus autem ferè ubique temporales, in negotiis instructiores esse solent. Quare & omnibus sat persuasum est, à capacitate & diligentia hujusmodi Officialiorum bonum regimen & causarum justam directionem plurimum dependere.

XIV. Praeter hos Officialios, quorum consilio passim Magistratus utuntur in negotiis dirigendis, & causis instruendis, consulere quoque consueverunt Advocatos seu Jurisperitos, qui iis in causis vicem Assessorum suppleant; utpote, qui in iudicando suis consiliis quasi adsident, quidve edicere, aut pronuntiare debeant praescribunt. Unde Advocati qui à Magistratibus super decisionibus causarum consuluntur, vulgo dicuntur consulere pro iudice; quod consilia ipsorum sint adinstar iudiciorum.

XV. Licet enim tales Advocati nullam habeant jurisdictionem; neque sententiam suo nomine proferre queant, nihilominus his Advocatis potiori jure ipsa sententia adscribenda, quam Magistratibus, quia Magistratus, qui frequentius juris scientià non sunt instructi, iudicium Advocatorum illorum sequuntur. Imò ex Edicto de an. 1693. tenentur Magistratibus subalterni in Brabantia ex sententia Advocatorum pronuntiare.

XVI. Exemplo Magistratum civilium coeperunt & ipsi Praelati, quibus jure ordinario, vel delegato iudicandi auctoritas competeat in causis tractandis & decidendis Assessores adsciscere; praesertim postquam causae Ecclesiasticae tractari inceperunt more forensi; atque non amplius ex aequo & bono more arbitratorum, sed ex rigore juris in foro Ecclesiastico procedi consuetum fuit. Sapius enim contingebat, ipsos Praelatos, aliove quibus auctoritas iudicandi vel jure proprio, vel delegato competeat, scientià illà forensi aut parum esse instructos; aut aliis majoribus & gravioribus negotiis occupari, quominus forensibus illis quae multum saepe temporis requirunt, implicari possent aut conveniret.

XVII. Saeculo 13. moris fuisse, ut in tribunalibus Ecclesiasticis assumerentur Advocati in Assessores patet ex Synodo Cantuariensi anno 1265. Can. 27. ubi dicitur: „Ad Advocatorum consilium in interloquutoris, & sententis

Q999

tenentis in consistorio prænoto (Episcopali) ferendis, de consuetudine Curie supradictae (Episcopalis Cantuariensis) à Juce seu Præsidente recurritur.

Hinc manifestum est, non fuisse novum in Curia Cantuariensi ad consilium Advocatorum in sententiis ferendis recurrere; sed jam illud de consuetudine eo tempore fuisse servatum. Advocati autem hi ibidem vocantur & Assessores.

XVIII. Quamquam non sit improbandum, quod Prælati disceptationum forensium peritiâ haud instructi, vel gravioribus negotiis impediti in causis tractandis & decidendis Assessores sibi assumant, hoc tamen improbandum, in gravamen Partium sine justa causa, ut Advocatis aliisve faveatur, Assessores etiam plures nonnunquam adsciscunt.

XIX. Huic abusu occurrere volens Bonifacius VIII. in Cap. 11. §. ASSESSOREM De Rescriptis in VI. statuit: Assessorem autem ut quandoque faciunt aliqui fraudulenter (nisi eo indigeat, quod conscientia relinquatur ejusdem) sibi nequam adjungat: alioquin de suo proprio providere teneatur eidem. Si autem indigeat, ipsum neutri parti suspectum assumens, de competenti salario provide moderando ab eo, fiat à partibus communiter provideri.

XX. Est autem Assessor (ait Archidiaconus ad hoc Capitulum) is, quem ille qui potestatem habet judicandi, sibi associat ut sibi in causa assideat, vel assistat, seque ad causam rectè decidendam instruat. Atque de officio ejus remittit ad titulos Digestorum & Codicis De Officio Assessoris, ut vel inde apparet, nec Archidiaconum dubitasse, quin officium Assessoris, de quo hic agitur, & in tribunalibus Ecclesiasticis hodie est vulgatum, ex jure Civili originem habuerit; & ex hoc jure de officio Assessoris sit statuendum.

XXI. Imprimis itaque Bonifacius dicit, quod Delegatus Judex à Sede Apostolica non debeat assumere Assessorem nisi eo indigeat. Ad quæ verba reflectens Glossographus quærit. Utrum Delegatus indistinctè permittit sit assumere Assessores sive Consiliarios, posito quod ipsi Delegati sint sufficientes ad decidendum dubia? Et respondet, quod non, nisi necessitas exigat: Ideo (ait) si Delegatus sit negligens, quia dixit, quod non vult studere, ideo quia non recipit aliquid à partibus, hoc non debet facere, quia si sit sufficiens, non debet in gravamen partium assumere Assessores vel Consiliarios qui salarizabuntur à partibus.

XXII. Rectè addit Glossographus hæc finalia verba, qui salarizabuntur à partibus. Nec enim prohibetur Judex Delegatus indistinctè & pro suo arbitrio assumere Assessores sive Consiliarios, nisi in quantum hæc assumptio vergit in gravamen Partium. Unde in sua Constitutione dicit Bonifacius, quod si Delegatus sibi adjungit Assessorem quo non indiget, de suo proprio teneatur providere eidem.

XXIII. Deplorat Pontifex, quod quidam contrarium faciant fraudulenter, hoc est sibi Assessorem adjungant, quo non indigent. Fraudulenter, inquit Glossographus, vel ut partes gravent, vel alteram earum: vel ut amicis serviant, vel ut lucrum percipiant, vel participant.

XXIV. Vetat autem Bonifacius à Judice Delegato Assessorem assumi additâ hæc cautione, nisi eo indigeat: quo manifestè indicat, Judicem Assessorem sibi posse adjungere, si eo indigeat: puta, quia fortè non est peritus ut conveniat, ad uni-versa puncta causæ ruminanda: vel quia variis suis negotiis, vel infirmitate corporis impeditur; ut ibidem exponit Glossographus.

XXV. Ex capite non sufficientis peritiæ solent hodie Judices Delegati, qui professione non sunt Jurisperiti, nec consequenter forensium disceptationum peritiâ profiterentur, Assessores assumere, ex quorum consilio & directione causas instruant & decident.

XXVI. Imò Lex X. in Constitutione quæ incipit, Regimini universalis Ecclesie, 10. in Bul. R. declaravit §. 9. Judices autem, & Conservatores à Sede Apostolica deputati, si in altero juriû graduati non fuerint, Assessorem Partibus non suspectum, ab ipsis Partibus, vel earum al-

tera requisiti, assumere, & secundum ejus relationem judicare teneantur.

XXVII. Et licet sint professione Jurisperiti, & in utroque vel altero juriû graduati, si tamen se directioni aut decisioni causarum reverà credant insufficientes, aut non satis suæ peritiæ ob causarum difficultatem & gravitatem fidant, vel aliis majoribus negotiis ita sint occupati ut hiis vacare nequeant; poterunt & hi vel pro integra causæ directione, vel saltem pro ejus finali decisione Assessorem assumere prout & hodie frequenter Judices, etiam professione Jurisperiti, atque in jure graduati assument.

XXVIII. Utrum autem Judex Assessore indigeat, & utrum sit causa sufficiens eum sibi adjungendi expensis Partium, ex citata Constitutione conscientia ipsius Judicis assumendi relinquitur. Ex quo concludit Glossographus, quod Pars non possit referre quæstionem Judici Delegato: scilicet, dicendo quod Assessore non egeat. Cum enim hoc conscientia relinquatur ipsius, ergo soli Deo, & nulli alii Judici vel cognitori.

XXIX. Conformiter ad hanc expositionem glossæ Judices Ecclesiastici hodie sibi Assessores assument ex solo conscientia dictamine; nec ipsis super sufficientia causæ assumptionis à Partibus in foro externo quæstio moveri potest. Caveant tamen, ne Assessores plures, aut non necessarios in gravamen Partium, puta ut amicis aut familiaribus lucrum procurent, vel eorum sibi favorem aut amicitiam concilient, assumendo rationem reddere debeant ei, qui conscientia cognitor est & Judex.

XXX. Cum Judex Delegatus ob suam insufficientiam possit, imò & debeat sibi Assessorem assumere, rectè hic observat glossa marginalis, quod licet Judex Delegatus non sit sufficiens, propter hoc non possit reculari, quod & hodiernæ praxi est conformis.

XXXI. Addit Bonifacius VIII. in sua Constitutione, quod si Judex Delegatus Assessore indigeat, ipsum neutri Partium suspectum assumat.

Hic rursus notat glossa, quod Consiliarius vel Assessor possit reculari ut suspectus, licet non habeat jurisdictionem: quia Consiliarius possit inducere Judicem ad judicandum pro Parte adversa. Quod vel tunc indubiè præcipue locum habet, quando Judices Juris peritiâ non habentes, omnem penè causæ directionem & decisionem à Judicio Assessorum petere & expectare debent: tunc enim licet auctoritatem Judicis non habeant, reverà tamen in decisione & instructione causæ partes Judicis agunt.

XXXII. Permittit autem Bonifacius in sua Constitutione, ut si Judex Delegatus Assessorem, quo se indigere judicavit, assumpserit: et de competenti salario provide moderando ab eo, fiat à Partibus communiter provideri.

XXXIII. Hic ad verbum moderando monet Glossographus, quod moderatio hæc fieri debeat à Judice secundum qualitatem causæ & Partium conditionem & facultatem Assessoris & loci consuetudinem.

XXXIV. Hodie ferè ubique moribus receptum est, ut si Advocati in certis causis pro Judice consulantur, aut in Assessores assumantur, salarium ipsis solvatur pro quantitate temporis vel numero horarum quibus in causæ examine fuerint occupati. Salarium autem illud in singulas horas solet de stylo Curiarum esse taxatum.

Illud hic advertendum ne tempus & horas rebus & dicibus ad causam impertinentibus impendant; & nihilominus ad gravamen Partium tamquam in causæ examine impensas adducant; vel etiam majus quam Statuta Curiarum determinant, salarium prætentant.

XXXV. In Curis Ecclesiasticis, in quibus solet penè semper adesse Assessor, imò nonnunquam omnia ferè per solum Assessorem aguntur, consuetum est ut & ipsius Assessoris, quemadmodum aliorum Officiariorum, salarium sit taxatum. Ita in Statutis omnium Curiarum Ecclesiasticarum Provinciae Mechliniensis tit. De Assessore habentur ejus jura taxata; atque art. 1. Pro qualibet sua præsentia,

sentia sive in terminis substantialibus, sive non substantialibus habeat 5. stuferos.

Similiter legimus in Ordinationibus Curiarum Rectoris & Conservatoris hujus Universitatis per Principes Belgii Albertum & Isabellam anno 1617. probatis, salarium Assessoris taxatum. Extant hæc Ordinationes parte 3. Editæ. Brabantia lib. 1. tit. 5. cap. 30.

XXXVI. Dicitur in citatis Ordinationibus Curiarum Provinciae Mechliniensis art. 3. Si contingat Assessorem, loco Commissarii audire testes sive extra civitatem, & locum residentia, sive judicialiter sive extrajudicialiter, habeat Jura in hiis casibus Commissario attributa.

Nolunt igitur hæc Statuta, ut Commissarius sive Judex de salario participet, si ipse operam non impendat: quod sanè justum est. Unde & Universitas nostra Lovanienfis in litteris ad Principem datis anno 1500. pro conservatione ipsius Curie Conservatorialis, loquens de Juribus Conservatoris ait: De interlocutoriis & diffinitivis, quia compositas per Assessorem solum pronuntiat nihil. Habentur hæc litteræ insertæ privilegio Ducis Philippi super cursu Jurisdictionis Domini Conservatoris, quod extat in citato libro Edictorum cap. 8.

XXXVII. Tametsi ex justa causa Judex Ecclesiasticus possit uti Assessore, imò frequenter debeat eo uti, tam in causis dirigidis, quam decidendis; nihilominus conveniens est, ut & ipse etiam ipsa acta causæ legat, & examinet, ipsosque Assessores audiatur ut ita videat, ne quid ex aliquo humano affectu, aut negligentia, vel imprudentia committatur, aut omitatur, quod uni aut alteri Parti officiat, aut Justitiam lædere queat; quemadmodum voluit Justinianus Novella 60. ut Judices saltem ipsam sententiæ dictionem sibi reservarent.

CAPUT II.

De Advocatis.

- 1 Quomodo & quando in curias Ecclesiasticas Advocati fuerint recepti.
- 2 Hodie litigantes tam in curiis Ecclesiasticis quam secularibus causam per Advocatos proponere solent.
- 3 Innocentius III. voluit ut non per Advocatos sed per ipsos litigantes factum exponeretur.
- 4 Idem praxim ad duci optat Cujacius.
- 5 Advocatus conari debet de factis causæ exactè instrui.
- 6 Causam suscipere non potest ante obitiam convenientem causæ instructionem.
- 7 Decretum curiarum Ecclesiasticarum Provinciae Mechliniensis quoad hunc articulum.
- 8 Habita causæ cognitione quoad facta debet Advocatus examinare, an causa sit fundata in jure.
- 9 In causæ examine merito Advocati sibi proponunt exemplum Ciceronis.
- 10 Hodie Advocati specialiter attendere debent ne injustam causam suscipiant ob solitum prestari juramentum.
- 11 Hoc examen requiritur in Advocato peritiâ juris.
- 12 Apud Romanos hujus peritiæ debebant habere testimonium à Professoribus juris.
- 13 Hodie vicem hujus testimonii supplet gradus Academicus; nec ad manus Advocati admitti solent nisi ut minus Licentiatum juris.
- 14 Multum solliciti esse debent Professores, ut indignis gradum Academicum conferant.
- 15 Visitatio hujus Universitatis requirit rigotolum examen per totum jus in ordinatione ad gradum Licentia in jure.
- 16 Quam gravia incommoda redundent in Ecclesiam & Rempublicam ex nimis facili admissione ad gradus Academicos.
- 17 Quare hodie hic in Belgio merito exactius examen circa graduandos in jure requiritur.
- 18 Ex Constitutione Justiniani requiritur studium quinquennium ut quis in foro jus profiteri possit, hodie minus requiritur ad gradum Licentia.
- 19 Merito hodie post absolutum studium juris, tempus aliquod impendatur ascende praxi antequam suscipiatur officium Advocati.
- 20 Advocatus non solum debet esse eruditus in jure, sed maxime vacuus à malis affectibus præsertim à cupiditate lucri.
- 21 Hæc cupiditas hodie specialiter periculosa est quia Advocatis ce-

- dit salarium sive causam perdant sive lucrentur.
- 22 Hodie non solent Advocati ob imperitiâ aut injustam causæ defensionem in judicio conveniri, quod magno periculo ad suscipiendas etiam causas injustas excitat.
- 23 Multitudo Advocatorum sæpe in causa est ut causæ injustæ suscipiantur.
- 24 Olim certus erat Advocatorum numerus, hodie indeterminatus.
- 25 Ex hac multitudine oritur quoque diurnitas & multitudo litium.
- 26 Nonnulli crediderunt feliciter fore Rempublicam sine Advocatis quam cum Advocatis.
- 27 Valde optandum ut numerus Advocatorum restringeretur.
- 28 Advocatus causam injustam suscipere nequit, licet prævideat quod alios patros reperiet.
- 29 Licet etiam ex recusato patrocinio sibi gravia incommoda imminere intelligat.
- 30 Advocatus causam quam suscepit ut justam, deserere debet, ubi intellexerit eam esse injustam.
- 31 Nec potest partem adversam pellicere ad transigendum cum suo cliente.
- 32 Ad id tenetur Advocatus etiam cum periculo infamiae & offensa sui clientis.
- 33 Advocatus in prosecutione causæ debet se exhibere fidelem sui clientis patronum, & ingenium justitiæ defensionem.
- 34 Ut Advocatus id assequatur debet breviter & clare statum quæstionis judicis exponere.
- 35 Hodierum Advocatorum vitium multis parergis causam involvendi & extrahendi.
- 36 Hoc Advocatorum vitium jam pridem reprobatum Justinianus Imperator.
- 37 Mos conviciandi partem adversam ejusve Advocatum per leges Romanas improbatum.
- 38 Ob convicia in partem adversam conjecta hodie puniuntur Advocatis, licet convicia principalis probet.
- 39 Advocati abstinere debent etiam vi sui juramenti à superfluis dilationibus.
- 40 Quis Advocati huic vitio magis sint expositi.
- 41 Statutum Curie Ecclesiasticæ contra superfluas seripiones & dilationes.
- 42 Fidelitas Advocati erga suam clientem requirit ut ei serviat sine collisione cum parte adversa.
- 43 An Advocatus possit suscipere causam dum à parte adversa facti consulti, vel in prima instantia pro illa postulari?
- 44 Ad eliminanda vitia Advocatorum lata aliquando fuit lex Conca qua verbat ab Advocatis aliquid pro patrocinio accipi.
- 45 Hæc lex urgente Senatu Romano moderationem accepit, & Advocatis moderatum honorarium permittit.
- 46 Jure Romanorum in taxatione honorarii merita causæ & industria Advocati considerari debebant.
- 47 Hodie pro pagellarum & line arum numero fit taxatio, ex qua taxandi ratione multa incommoda oriuntur.
- 48 Quid bonus Advocatus sit ante hoc usu taxandi observare debet.
- 49 Advocatus ut ostendat se justitiæ defensionem, debet etiam causas pauperum gratis suscipere.
- 50 An error Advocati nocet clienti?
- 51 Hæcenus dicta ostendunt, Advocati officium esse periculosum quod etiam monuit Sanctus Carolus.
- 52 Quare jam pridem manus Advocati interdictum fuerit Clericis?
- 53 Quis hodie Clerici ab officio Advocati excludantur.
- 54 Causis quibus Clerici in sacris constituti postulare possunt, & quæ hic moderatio tenenda.
- 55 An in foro Ecclesiastico Clerici postulare queant.
- 56 Sanctus Carolus Advocatum pauperum è suis Clericis instruit. De Advocato Pisci remisit.



Uemadmodum in Curias & tribunalia Ecclesiastica ad exemplum tribunalium Civilium intrarunt Assessores, postquam stylus forensis tribunalia Ecclesiastica occupavit, (uti capite præcedenti dictum est) pari ratione Advocati ex foro Civili ad forum Ecclesiasticum una cum stylo forensi admissi sunt; eodemque munere in utroque tribunali fungi cœperunt.

II. Hodie quidem solent ferè litigantes sive in Civilibus sive Ecclesiasticis Curis per Advocatos causas suas, tam quoad facta, quam quoad Jura proponere.

III. Innocentius III. in Cap. 14. De Judiciis, tamen respondit Episcopo Heliensi, ut principales personæ (id est Actor & Reus) non per Advocatos, sed per se ipsos factum proponant, nisi fortè sint adeo indiscretæ, ut earum defectus de Judicis licentia per alios suppleatur.